

1792.11.19

AD

DISPVTATIONEM IN AVGVRALEM

A

PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMO QVE
CAROLO GVIELELMO WALCHIO

NOSTRATE

DIE CRASTINO HABENDAM

INVITAT

SIMVLQVE

DE XI. DIEBVS CALENDARIO IVLIANO

SVBTRACTIS ETIAM IVRI PASCENDI

SVBTRAHENDIS

BREVITER DISSERIT

IO. LVDOVICVS AB ECKARDT D.

SERENISS. DVCI SAX. VINAR. ET ISENAC. A CONSILIIS AVL. SECRET.
COMES PALAT. CAESAR. IVR. CANON. P. P. O. FAC. IVRID. ET SCABINOR.
COLLEGII ORDINARIUS

FACVLTATIS IVRIDICAE H. T. EX-DECANVS.

I ENAE,

EX OFFICINA GOEPFERDTIL.

CLXXXVII.

OPHOAR. OR. T. DIV. 9. 9. JONAS
CZARTORYSKI M. D. 1600. 1601.
RIVAROL. 1611. RAVENSTEIN. 1612.
M. C. 1613. 1614.
1615. 1616. 1617. 1618.
1619. 1620. 1621. 1622. 1623. 1624.
1625. 1626. 1627. 1628. 1629. 1630.
1631. 1632. 1633. 1634. 1635. 1636.
1637. 1638. 1639. 1640. 1641. 1642.
1643. 1644. 1645. 1646. 1647. 1648.
1649. 1650. 1651. 1652. 1653. 1654.
1655. 1656. 1657. 1658. 1659. 1660.
1661. 1662. 1663. 1664. 1665. 1666.
1667. 1668. 1669. 1670. 1671. 1672.
1673. 1674. 1675. 1676. 1677. 1678.
1679. 1680. 1681. 1682. 1683. 1684.
1685. 1686. 1687. 1688. 1689. 1690.
1691. 1692. 1693. 1694. 1695. 1696.
1697. 1698. 1699. 1700. 1701. 1702.

DE
VNDECIM DIEBUS CALENDARIO IVLIANO
SVBTRACTIS ETIAM IVRI PASCENDI
SVRTRAHENDIS.

§. I.

De insigni aberratione Calendarii Iuliani ab anno solari genuino eiusque necessaria, quae primum auctoritate summi Pontificis Rom. Gregorii XIII. anno MDLXXXII. suscepta et a cunctis Catholicis statim, a Protestantibus autem, cessante deum, quod ipsis eorum Theologi cacoorthodoxi incusserant, rei sacrae inde imminente periculo, sub initium vergentis huius seculi agnita correctione inter omnes constat. Vi huius correctionis, ut annus Calendarii Iuliani anno solari exaequaretur et insignis ex eorum discrepantia temporum anni orta tolletur confusio, anno MDLXXXII. mensi Octobri X. dies atque anno MDCC. quo per seculum et quod excurrit annus Calendarii Iuliani annum solarem genuinum denuo uno die praeue.

A 2

nerat,



nerat, mensi Februario XI. dies subtrahebantur, ita, vt a MDLXXXII. diem XXI. Octobris dies I. Nouembris, et a. MDCC. diem XVIII. Febr. dies I. Mart. statim exceperit. *)

*) *Repertor. iur. publ. et feud. art. Calender. Mathem. Lexic. Part. I. pag. 259.*

§. II.

Quam notabilem Calendarii vulgaris siveque diu seruati compati temporis mutationem negotia quoque ciuilia non leuite affecisse, quilibet ad praestationes annuas, cambia, prae-scriptionem etc. animum aduertens facilime perspiciet; nihilominus iis neglectis, vti Papa a. MDLXXXII. totus in eo fuit, vt festa iis ipsis diebus, quibus olim assignata, restituerentur, ita et status Euangelici eodem modo solam rei religiosae cu-ram in Comitiis suis propterea institutis gesserunt. *) Quam ob rem legumlatorum quidam officio suo satisfacturi litibus exinde metuendis per nouas leges saluberrime prospexerunt. Primus, ni nos omnia fallunt, hoc fecit Elector Saxoniae FRI-DERICVS AVGVSTVS, tunc temporis Rex Poloniae, in mandato d. VI. Mart. MDCCI. ea de re emissio §. XI. in specie circa ius pascendi edicens, vt iis, quibus illo vsque ad certum statumque diem vti licuisset, illo decem dies die statu amplius hoc et quoquis anno sequenti vti liceret. **)

*) v. SCHAVROTH *Samml. aller Conclusor. des Corporis Evangelic. Tom. I. pag. 177. seqq.*

**) in LÜNIGII *Codice Augus.* Tom. I. pag. 342.

§. III.

§. III.

Nos, quid post memoratam Calendarii olim vulgaris mutationem circa terminum iuris pascendi citra leges prouinciales secundum principia iuris communis statuendum sit? disquisituri praemonendum esse ducimus, leges tam patrias generales, quam subsidiarias, Romanas scil. et Canonicas, huius rei nullam facere mentionem, quia illa eo tempore, quo latae, prorsus ignorabatur. Ex eadem causa mirum nemini videbitur, cur altum hac de re silentium in auctoribus, qui seculo superiori et antea de iure pascendi scripsierunt *); sed mirum forsitan videbitur, qui recentiores hoc thema praetermisserint **) Inde ad principia generaliora de computandi temporis ratione ex ipsis legibus conspicua recurrendum, quo sic defectum legum hoc in argumento opitulante analogia suppleamus.

*) quos sicut Bibliothec. iurid. LIPEN. arti Pascua etc.

**) inter quos praeceps IO. CHRIST. SCHÜTZ Tr. de iure pascendi Francof 1732 4. et CAR. FRID. DE BENECKENDORF in Oecon. Forens. Vol. VIII. Cap. 12. §. 53. Immone ne IAC. BRYNNEMANNUS quidem, qui peculiarem Dissertationem de iure XI. dierum Calendario subtractarum Hol. 1702. conscripsit, in controversiis ex hac temporis immutacione metuendis Cap. II. et III. propositis iuris pascendi meminit, nec adaequata decidendi rationem, eam quippe ex favore vel odio cuiusvis negotii deducens, iniisse mihi quidem videtur.

§. IV.

Maximam similitudinem dies XI. Calendario vulgari subtractos inter et diem intercalarem deprehendere mihi videor. Sicut enim huius, ita et illorum in numerandis diebus Februarii

nul-



nulla ratio habetur. Quidni igitur dierum subtractorum intuitu idem analogice statuamus, quod ius Rom. et Canonicum intuitu diei intercalaris expresse sanciunt? Adeo utique in ambobus eadem plane ratio, ut nimis Calendarium, quo in rebus sacris et profanis utimur, cum anno solari conueniat idque tempus, quo illud ab hoc discrepat, e medio tollatur; quod quidem ratione dierum subtractorum semel factum, ratione diei intercalaris autem quolibet quadriennio repetitur, quae tamen illorum atque huius differentia tertium, quod dicimus, comparationis, ad quod in applicatione legum iuris Rom. et Can. de die intercalari ad dies XI. subtractos primario respiciendum, non afficit.

§. V.

Dispiciendum igitur, quid iure Rom. et Can. de die bisextili s. intercalari dispositum. Principalis huc pertinens lex ex iure Rom. est L. XCVIII. D. de V. S. sic se habens: *Cum bissextum Kalendis est, nil refert, utrum priore an posteriore die quis natus sit, et deinceps sextum Calendas eius natalis dies est, nam id biduum pro uno die habetur: sed posterior dies intercalatur, non prior, ideo, quo anno intercalatum non est, sexto Kalendas natus, cum bissexto Kalendis est, priorem diem natalem habet. Quacum conuenit L. III. §. III. D. de minorib. et L. II. D. de div. temp. praescript.* Quod ad ius Can. huc spectat c. XIV. §. I. X. de V. S.

vbi

vbi P. M. Alexander III. dispositus: *Festum b. Mattheiae iuxta consuetudinem ecclesiasticam, vigilia eatenus praecedat, vt nec pro bisexto, nec pro quolibet alio modo inter se et solennitatem aliam diem admittat: in qua utique vigilia, nisi ventrit in Dominicas, ieiunium celebretur.* *Ipsum autem festum, siue fiat in praecedenti die, siue in sequenti, qui duo quasi pro uno reputantur, nullus error; sed consuetudo ecclesiae teneatur.* Ex quibus consicimus, diem VI. Cal. Mart. eumque sequentem intercalarem simul sumtos pro unico habendum ideoque in temporis computatione hos duos dies diei VI. Cal. Mart. in annis, quibus intercalatum non est, esse aequiparandos. *)

*) conf. DE COCCET. iur. controv. Lib. IV. Tit. 4. Qu. I. CHR. HENR. BREWNING.
eleg. Diff. ad Celsum in L. XCIVIII. D. de V. S. Lips. 1757.

§. VI.

Quidni idem locum haberet in diebus istis Calendario veteri subtractis? Ex computo temporis annalis erroneo Calendarium a. MDLXXXII. decem et a. MDCC. vndecim diebus sollem praecucurrerat eum in modum, vt aequinoctium vernale initiumque veris, quod cursu solis rite computato d. XXI. Mart. obtingit, iam in d. XI. et X. eiusd. mensis inciderit, quae discrepancy anni naturalis et civilis non potuit non, quin rem tam sacram ratione festorum, quam oeconomicam admodum turbaret atque emendationis Calendarii necessitatem ob oculos pone-



poneret. Adhibitis igitur in consilium Mathematicis vndeциm dies per errorem calculi in Calendarium irrepti iterum eiiciebantur et, tanquam tempori iamiam praeterito detracti sique praerepti, pro immaginariis nulliusque effectus declarabantur, non secus, ac diei intercalaris, qui itidem ex sex horis, quibus annus ciuilis solarem procurrat, quolibet quadriennio resultat pariterque praereptus est, nulla ratio habetur.

§. VII.

Quae cum ita sint, nulla solida, immo ne verisimilis quidem reddi poterit ratio, qui factum, vt tunc temporis vulgo videretur, iniuriam fieri iuris pascendi possessoribus, si huic iuri XI. dies Calendario subtracti quoque subtraherentur. Quippe cum hi possessores in lucro ex usu iuris sui ultra tempus concessionis, cum damno dominorum praediorum seruentium, capto manifeste haerebant, potius dominis de restituendo damno, quod ex abusu iuris pascendi per secula insciit perpepsi erant, suisset propisciendum. Sed error iste vulgaris animos ita ceperat, vt vel publicis legibus ius pascendi in omnem aevum ad vndeциm dies ultra Calendarium Gregorianum seu, quod Protestantes malunt, emendatum protenderetur (§. II.); quo dominis fundorum ea seruitute affectorum duplex illata est iniuria, altera nimirum ipsis reparationem damni perpepsi dene-

❧

denegando, altera eaque grauissima, feruitatis possessoribus facultatem excessum continuandi in perpetuum tribuendo. Attamen bono omne perpaucæ eiusmodi existabunt leges exprefſae, quanquam negari nequeat, vi erroris istius communis iuris pascendi possessoribus a Calendarii emendatione vsque ad diem hodiernum eius protensionem ad vndeциm dies fere vbi que esse indultam, ita, vt longinquò vſu accedenti de illorum iure quaeſito vix dubitari poſſe videatur.

§. VIII.

Nos missis legibus expressis ea de re gestis, quas quomodo a nota iniustitiae vindicent aut iterum e medio tollant, videant illarum auctores aut patroni, periculum faciemus inquisituri, vtrum ex exercitio fere centenario protensionis iuris pascendi ad vndeциm dies vltra eius constitutionis terminum ius enatum sit, tam firmum radicatumque, vt ne reſtrinki quidem, multo minus autem plane tolli poſſit? Ex erronea opinione Calendarium vulgare cursui ſolis respondere fiebat, vt illud hunc peditentim praecurreret, qui error demum fuit cognitus, poſtquam diſcrepanția Calendarium inter et annum ſolare ad vndeциm dies vsque excreuerat. Hunc errorem non eſſe iuris, ſed facti, nemo in dubium vocabit. Iam inter omnes conſtat, errorem communem ius non facere *), quod in primis intuitu erroris facti locum habet, maxime ſi ita inuincibilis, vt eſt cog-

B

nitio



nitio conuenientiae aut discrepantiae chronologiae vulgaris cum mathematica, quippe quae sine exacta mathefeos cognitione paucissimis propria haberi nequit. Eiusmodi error haud est absimilis errori calculi, ideoque pari cum hoc priuilegio, quod scil. quoconque tempore vrgeri possit, haud indignus mihi quidem videtur. Ponamus autem, ex errore facti accidente temporis diurnitate ius consuetudinarium emergere seu errorem in ius transformari potuisse **), ideoque fundorum dominos ab a. MDCCXXX. aut MDCCXL. in errore iuris haesisse; nihilominus illis, suum i. e. naturalem fundorum libertatem repetentibus, hunc iuris errorem non obesse contendō ***). Inde nec ex erronea iuris pascendi protensione ius prodire potuisse mihi persuasum habeo.

*) L. 15. D. de iurisdict. Sententiam contrariam sat bene refutat atque leges, quae obstat videntur, remouet HVNNIVS Refolut. iur. civ. Lib. I. Tr. 1. Qv. II. p. 25. add. IAC. LEMBRE inquisitio dicerii vulgaris; communem errorem ius facere. Ros. 1688.

**) Quod plures ob L. 39. D. de LL. perhibent.

***) Vi L. 7. D. de R. I. ALB. PHIL. FRICK D. de indebitum soluente per ignorant. iuris civ. ad indebiti condicione admittenda. Helmst. 1778.

§. IX.

Quod si vero cuidam argumentum, quod §. antecedente contra praetensum ius protensionis iuris pascendi ex longa consuetudine enatum protulimus, minus satisfaciat, etiam aliud idque fortius ad manus est. Iam Romani rei rusticae scriptores tem-

pus

pus extreum pratorum a pecoribus oinnis generis defendendorum collocant in mensem Martium *), qui secundum observationes thermometricas Waldonis aliorumque ob climatis Italicis a Germanico diversitatem incidit in nostrum Aprilem, quo teste experientia apud nos, vti in Italia mense Martio, prata reuirescunt, semina gramine terrae mandata progerminant, eoque plantas graminis, tempestatis aut pecoris iniuria emortuas, restituunt. In rebus oeconomicis vel leuiter tincti haud ignorant, pastum pecoris hoc tempore pratis esse damnosissimum, dum non solum apices graminis depascuntur eoque huius incrementum impeditur, sed et tenerae plantae radicibus euelluntur aut pedibus proculcantur. Nemo non videt, hoc modo messem foeneam pro parte saltim tertia, immo pro tempestatis conditione adhuc amplius in nihilum redigi simulque pratis sterilitatem parari, quod quam rei publicae sit noxium per se planum est atque perspicuum **). Hinc ex solidissimis rei oeconomicae rationibus a maioribus nostris tempus, quo ius pascendi in pratis cessare debeat, in initium veris h. e. diem XXI. Mart. aut ad summum in diem S. Walburgis s. diem I. m. Maii fuit constitutum, a quo autem errabundi, quippe fallo Calendario seducti, ita aberrauimus, vt ius pascendi in pratis vsque ad XI. m. Maii non solum pro rationabili et licto, sed et pro iusto habeamus.

*) VARRO de re rust. Lib. I. Cap. 29. pag. 109. edit. GESNER, COLUMELLA de ead. Lib. XI. Cap. 2. §. 2. p. 751. PALLADIUS de ead. Lib. IV. Tit. 2. p. 952.



**) Überius gravitatem damni ex iuris pascendi veris tempore vsu longiori in pratis refulantis exponunt de BENECKENDORF in Oeon, for. Tom. VIII. Cap. 12. §. 112. seqq. IOH. ERNST SPITZNER'S Zurücksetzung der Frühjahrshuthung auf den Wiesen, als das einzige Mittel, dem Futtermangel abzuhelfen, (Leipz. 1791. 8.) Cap. V.

§. X.

Quibus praemissis vix a vero aberrabo, si consuetudinem ex diurno vsu iuris pascendi vsque in mensem Maium eliciendam pro irrationali et quoquis tempore revocanda declararem. Nonne enim contra rationem, quod contra salutem publicam est? Ex longiori et in mensem Maium vsque continuato vsu iuris pascendi oriri iacturam messis foeni, ad tertiam quin dimidiam partem, ut et parari sterilitatem pratorum sive dominos pratorum, haec in pascua sensim conuertendo, fructuum perceptione ipsaque propriitate fraudari monstravimus (§. IX.). Ex defectu foeni oritur imminutio rei pecuariae, atque ex hac et carnium penuria et stercoris insufficientia, quam post osteriorem penuria frumenti comitetur, necesse est; inde quid detrimenti ex intempestivo illo pascendi iure in rem publicam redundet, non est quod explicem. Quam ob rem tantum abest, ut pretensionem iuris pascendi in mensem Maium vsque ob longinquitatem temporis pro iure quaefito habeam, ut potius nullus dubitem, quin summo Principi vi summae inspectionis salutis publicae, hinc et rei oeconomiae publicae, non facultatem, huncce prauum iuris pascendi usum tollendi, solum, sed et illius tollendi obligationem attribuam.

Abslo-



* * *

Absolutis nunc iis, quae ad thema propositum proxime spectare videbantur, me conuerto ad causam huius scriptionis principalem. Indicenda nimurum sunt solennia inauguralia Viri iuuēnis prae nobilissimi, ingenio, doctrina, vitae integritate morumque elegantia ornatissimi, Perillustris parentis vestigia strenue prementis,

CAROLI GVILIELMI WALCHII,
qui summos in iure honores a Facultate nostra decēnter petens
vitae ante actae rationes pro more hoc modo exposuit:

*Ego, Carolus Guilielmus Walch, natus sum Ienae die III.
Februar. CICOCCLXXVI. patre CAROLO FRIDERICO WALCHIO, serenissimi Duci Vinariensis et Isenacensis a consiliis iustitiae intimis, iurisconsultorum ordinis et scabiorum collegii seniore, matre vero MAGDALENA MARIA ECCARD, filia IOANNIS GEORGII ECCARD, quondam a consiliis intimis regiminis Isenacensis; quos parentes optimos maxima pietate colo, ac veneror. Pater ipse anno CICOCCLXXVIII. prorectoris munere tunc fungens, me in numerum civium acadiae recepit. In antiquis linguis, et illis literis, quibus pueri institui solemus, privati praceptores me erudierunt, inter quos praecipue CHR. FR. BOEHME, Gymnasi, quod Altenburgi floret, nunc Lectoris, in me merita grata*

B 3

semper



semper mente recordabor. Postea publicas huius Academiae professorum scholas frequentare coepi. Iam dudum, ut iurisprudentiae studio me dederem, animus inclinaverat; ne vero in illis literis plane essem ineruditus, quas ignorare unum quemque, qui disciplinis operam navat, dedecet, viros amplissimos ill. VLICH logicam et ius naturae, ill. REINHOLD aestheticam, ill. VOIGT mathesin puram et adplicatam, per ill. SVCCOW physicam et scientias camerales, ill. HEINRICH historiam universalem, statuum Europaeorum, ac S. R. Imperii, nec non nolitiam statuum Europaeorum, et beatum MULLER historiam Saxonie et antiquitates Germanorum, explicantes audiui.

His literis imbutus, iurisprudentiae studio operam dedi. Praeceptoribus usus sum: in historia iuris patre pie colendo, in explicatione Institutionum et Pandectarum viro consultissimo BECKER. Audivi deinde ill. REICHARD Institutiones, patrem meum ius germanicum et cambiale, ill. SCHNABERT ius feudale, canonicum et ius publicum, praelectionibus illustrantes. Perill. AB ECKARDT, patroni summe venerandi, Pandectarum et iuris criminalis scholas frequentavi. Consultissimi VOELKER, viri et affinitatis et amicitiae vinculo mihi coniunctissimi, examinatorio ad Digesta,

❧

*gesta, non sine magna utilitate interfui. Postquam theore-
ticis iuris disciplinis operam dederam, practicas quoque
scholas adii, ubi pater carissimus processum communem
et artem relatoriam, ill. SCHNAVBERT vero, processum
amborum supremorum imperii iudiciorum me docuit.
Praeterea quoque SOCIETATI LATINAE, quae hac in Acad-
emia floret, adscriptus, eius confessus, per plures annos fre-
quentavi.*

Huius tam egregie praeparati Candidati, cuius habilita-
tem eximia ingenii atque eruditionis specimina in Dissertationi-
bus publicis et alibi edita satis superque testabantur, tentamen
Ordo noster pro superuacaneo atque inutili habens illum statim
ad examen sic dictum rigorosum vocavit, in quo tam textus
propositos scite eleganterque explicando, quam ad quaestiones
inde elicitas promte adaequateque respondendo se tales exhibi-
buit, ut spei de eo conceptam non expleuerit tantum, sed et
superauerit. Nullus igitur ex Ordine dubitauit, quin doctissi-
mo huic Candidato aditus ad cathedram et honores per illam
consequendos patefieret. Quem ingressurus Dissertationem in-
auguralem proprio Marte elaboratam *de praescriptione servitutum
constitutiua* dié crastino e cathedra Facultatis publica sine praesi-
de tuebitur. Cui actui vt MAGNIFICVS ACADEMIAE PRORECTOR,
ILLVSTRISSIMI COMITES, PROCERES AVLAE ATQVE ACADEMIAE

OMNIVM



OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMI, vt et FLORENTISSIMA STV-
DIOSORVM CORONA frequentes adesse eoque maiorem solennita-
tem et splendorem conciliare dignentur, Facultatis nostrae, suo
tempore gratias redditurae nomine decenter obseruanterque
rogo, P. P. d. xxviii, April. ccccclxxxvii,



Heller, Fr., 1790-1800







AD

DISPVTATIONEM IN AVGVRALEM

A

PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMO QVE

CAROLO GVILIELMO WALCHIO

NOSTRATE

DIE CRASTINO HABENDAM

INVITAT

SIMVLQVE

DE XI. DIEBVS CALENDARIO IVLIANO

SVBTRACTIS ETIAM IVRI PASCENDI

SVBTRAHENDIS

BREVITER DISSESTIT

IO. LVDOVICVS AB ECKARDT D.

SERENISS. DVCI SAX. VINAR. ET ISENAC. A CONSILIIS AVL. SECRET.

COMES PALAT. CAESAR. IVR. CANON. P. P. O. FAC. IVRID. ET SCABINOR.

COLLEGII ORDINARIVS

FACVLTATIS IVRIDICAE H. T. EX-DECANVS.

IENAE,

EX OFFICINA GOEPFERDTII.

CCCLXXXVII.